

recte positum est fovendum ^(a). quanta est, Deus, bonitatis existimatio quantaque dignitas! quam cito enim virum quenpiam bonum iudicaverimus, protinus etiam mali ^(b) diligimus volumusque familiares et domestici fieri. hec primo michi aditum ad bene-
 5 volentiam tuam ^(c) dedit; deinde conversationem, que inter patrem et filium, preceptorem et discipulum est ^(d), et si quid amplius nexus esse potest, addidit; nunc vero etiam audaciam prebet, imo cogit, ut cum multa fiducia absens ad te scribam. exinde autem, cum animadverto qui vir litteris et doctrina sis, in quem totus orbis
 10 intendat, quem omnes mirentur, quem celeberrimum fama predicet, quo pacto audere possum claritatem tuam insulis et incompositis litteris meis tentare? adeundum quidem talem virum existimo, non quotidianis sermonibus, non inadvertenter erumpentibus ^(e) vocibus, sed eisdem et non aliis quibus divina oracula peti
 15 solent. eapropter verecundus abstineo et satius esse iudico silentio quam inconditis sermonibus tecum agere. in hac tamen pugna verecundie fortassis non indebite et filialis devotionis, vincit caritatis affectio et suadet, impellit, ac cogit ut et voce presens et litteris absens loquar. accipe igitur statum meum. valeo, sospes
 20 sum, nichilo prosperiore fortuna, sed letiore quietioreque in dies animo, dum quotidie noxiis passionibus meis detrahi et salubribus boni aliquid addi sentio. curo multo studio ut litteratus sim, sed magis ut bonus et liber. hoc enim recte ^(f) sentire, illud recte vivere ^(g) facit. quibus studiis meis multum detractum video post-
 25 quam a te discessi. ubi enim parem tibi preceptorem inveniam? ubi tam fervide ^(h) docentem tramque fideliter admonentem? stant nichilominus fixa cordi documenta tua, que, dum aderam, a te habui. tuis regulis tuisque artibus vivo, per quas de die in diem proficere me in melius cerno, sed aliquando ob tui carentiam ⁽ⁱ⁾
 30 tardior sum et, retinentibus multis, nequeo ceptum cursum servare. quapropter, si pristinus amor manet, et absentem admone et, si ex laboribus tuis captare tibi otium potes, scribe aliquid quod componat animum, quod errantem corrigat et ad bene sancteque viven-

ma ne lo trattiene la coscienza della pochezza propria e della grandezza di lui.

Ecco intanto le sue notizie: buona la salute, la sorte non tanto, ma l'animo è tranquillo. Attende agli studi, e più al miglioramento dello spirito, pur sentendo quanto grave gli sia il non aver più la guida del Salutati.

da cui sarebbe felice di ricevere una parola di conforto.

(a) *PG in marg.* faciendum (b) *PG* male (c) *P* benevolentiam tunc dedit
 (d) *P om.* est (e) *P* irrumpentibus (f) *Codd.* hec enim recte (g) *Combi corr.* illud recte dicere (h) *G* feliciter (i) *G* reverentiam